



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

1. Dies Maii. Omnes dies sapiens tanquam vitam ordinat. Seneca de brev.
c. 7.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

QUOTIDIANA
 CHRISTIANI MILITIS
 TESSERA.
 PARS SECUNDA.

I. DIES MAII.

Omnes dies sapiens tanquam vitam ordinat. *Seneca de brev. c. 7.*

Tempus I.
 hoc mense
 bene ordi-
 nandum.



Enescimus tacitis non tantum annis, sed mensibus; utinam cum illis senescamus & virtutibus. Quid exigit hic novus, quem auspicas, mensis, nisi novum ardorem novæ congregandæ messis? Attende: ut in flumine unda undam trudit, nec unquam revocat elapsam: sic in tempore, dies diem, nec reparas amissam. In tempore tamen sumus non tantum profusi, sed prodigi, cujus unius inter omnia ut laudabilis, sic & utilis est avaritia. Si vis ut par est, tempus impendere, sic illud oportet metiri, & dispertiri, ut neque rationis quicquam ad bene agendum desit, neque libidini quicquam ad male agendum super sit. Nullum sit ergo

tempus, quod careat officio virtutis; nullum momentum temporis quod sit vacuum merito. Tempus sit licet brevissimum bene tamen peractum, & bene impendenti, immortalitati anteponendum est. Quid igitur cunctaris? quid semper in horas tricaris & moraris? Tempus nisi occupes, fugit, imò licet occupaveris, tamen fugiet. Itaque nobis conandum, & tantum non certandum est ut cum temporis celeritate, utamur ejus velocitate.

II. Quid patimur nobis elabi tempus? O thesaurum non reperiendum! fluit assidue, & nisi in ejus usura simus assidui, effluit. Et interim illic otio; illic alea, illic pila dataria perdimus: hinc tot homines perdit. Tempus nec Regis imperio, nec favore populi, longius se proferet: sicut jussit Deus temporum dispensator, à primo die præcipitabit, nusquam remorabitur. Una ætas ex hædo hirsutum facit hircum: utinam vel una ætas hominem ex impio faceret pium! Navigamus omnes dum vivimus, in corporis cymba quassa & debili: vix spatio loci distamus à morte duobus digitis, ne quidem duobus momentis, spatio temporis, & quòd hinc sequitur ab æternitate. Vita igitur hæc nostra via est in prærupta æternitatis crepidine utrimque subiecta: certi sumus nos indè aliquando lapsuros, incertum an ad dextram fœlicis, an ad sinistram infœlicis æternitatis: & in hac tam brevi, & lubrica via, adhuc sumus metu vacui, sine cura securi, sine solitudine imperterriti, sine anxietate læti.

III. Non tot sumus circumventi periculis, quot modis, ac viis urgemur ad mortem & æternitatem, hoc est innumeris: otiamur interim, oscitamus, nuga-

Majus.

Tessera.

331

nugamur, torpemus, toti in captandis reculis. Non est momentum in vita, quo nobis non minatur finem vitæ: nulla tamen hujus rei est per omnem vitam vel cogitatio. Age quisquis es sanus, vegetus, florens, da mihi de tot tuis vel annum, quo certus sis te à morte in Æternitatis chaos non demergendum: annum scilicet? da vel mensem, vel diem, quin horam duntaxat: vel unicum de tot anni horis apicem, ac momentum: & dormis, edis, jocularis alacer in hoc rei: um incerto, & lubrico, quasi annorum certus, ac propè sæculorum. Cur tam certa, eaque perpetua negligimus, quorum solâ nos suspicione, atque umbrâ contremiscere oporteret? Quàm pauci te, ô Æternitas, occupant! Cur non prospicimus nobis, quid tandem futurum sit, quamdiu futurus est Deus? Fugit vita, vires deficiunt, hebescunt sensus, opes, alimenta, commoda sensim, ac brevi nos deferunt: nobis inquam quid tandem futurum sit, in æternam transcriptis, deportatisque Regionem, cur non assiduè, seriò, unicè cogitamus? Revoca igitur in memoriam hujus diei telleram, & sic vitam ordina hoc mense, ac si quælibet hujus mensis dies, imò & quævis diei hora, esset non hora vitæ, sed tota vita. Jam quidem mensis est Majus, mensium omnium ob cœli solique amœnitatem, & serenitatem jucundissimus. Sed audi Poëtam:

Non stat per menses septem, Majus redolentos.